

Petrus de Vinea

*Ep. III 13 (Etsi ad perfectionem
Studii generalis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 13 (Etsi ad perfectionem
Studii generalis...)*

1252-1253

Iustituario Terrae Laboris, ut non impediat magistros legentes particulariter in gramatica, occasione Studii generalis Neapolitani.

1. Etsi ad perfectionem Studii generalis, quod nuper in ciuitate Neapolitana prouidimus reformandum, particularia studia ubique per Regnum mandauerimus interdici, nostrae tamen intentionis non fuit, sic loca quaelibet depauperare doctoribus, ut artis saltim gramaticae rudimenta nouitiis, uelut lactantis matris ubera famelicis infantibus, precipiantur, sed ad illos tantum extendi uolumus nostrae serenitatis edictum, qui auditoribus suis, ruditate deposita, in facultatibus aliis ingenia potiora petentibus, cibos iam possint scientiae solidos ministrare. 2. Eapropter fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus magistris quibuslibet, qui per terras iurisdictionis tuae pueros in artis gramaticae primitiis edocent, nullam occasione predicta molestiam inferas, sed particularia eorum regere studia sine impedimento quolibet patiaris.